

Augent magnum quendam cumulum aeris
 alieni,
 quod non posset nisi omnium provinciarum spoliatione
 dissolvi.

Frgm.
IX

5 Ingemuit gravius timidior quidam creditor.
 Ne quaesieris eius personam, de quo videtur hoc
 dicere. Nam generaliter fingit, ut desperatio pecuniae
 recuperandae consternerit creditores eius metuentes
 scilicet revertendi tarditatem.

Frgm.
X

10 Confirmat se comitiis consularibus Romae
 futurum.

Frgm.
XI

Aculeus est asperitatis, nam plerisque in locis inter-
 versas ab eodem Clodio criminatus est pecunias candi-
 datorum.

15 Tanto prius ad aerarium venit, ut ibi ne
 scribam quidem quemquam offenderet.

Frgm.
XII

Aput aerarium sortiri provincias et quaestores solebant
 et scribae, ut pro certo appareret, in quam provinciam
 vel cum quo praeside proficiscerentur. Ardorem quendam
 20 nimiae cupiditatis volens exprimere festinasse ad aerarium
 dixit, ut etiam scribarum praeveniret adventum.

Qui omnia sacrificia nosset.

Frgm.
XIII

Ut incestum significaret, medie suspendit elocutionem,
 non ut religionem praetenderet, sed ut crimen.

25 Cum se ad plebem transire velle diceret, sed
 misere fretum transire cuperet.

Frgm.
XIV

Quoniam patriciis non licebat tribunatum pl. accipere,
 idcirco se Clodius denunciaverat in plebeiam familiam
 transiturum, ut adeptus hanc potestatem de suis inimicis
 30 vindicaretur. De 'freto' autem quod ait, illud significat,
 quo Sicilia ab Italia separatur: in qua se provincia sub
 C. Vergilio gratularetur idem futurum esse quaestorem.